Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

V

Qui dat ut careat tedio
inpellantis ut non reficiat
viscera indigentis et reum
et inutiliter perdit. Benignitas
verbo Eccli 18 Non ardorem
refrigerabat ros sic et verbum
melius commendatum. Ha-
bundancia dati Thobie 4º
Si multum tibi fuit habun-
danter tribue. Et 2 Cor. 9
Qui parce seminat parce
et metet. Hylaritas dantis
Eccli 27 In omni dato hylarem
fac vultum tuum Et 2 Cor. 9
Non ex tristicia et necessitate hy-
larem enim datorem diligit
deus. Humilitas dantis Prov.
28 Qui despicit deprecantem
sustinebit penuriam. Dis-
crecio Eccli 12 Da iusto et
non recipies peccatorem. Conti-
nuatio Eccle 11 Mane semi-
na semen tuum et vespere non
cesset manus tua. Accele-
ratio Prov. 3º Ne dicas ami-
co tuo vade et revertere cras
dabo tibi cum statim possis
dare. Recta intencio Mt 6
Cum facis elemosinam nesciat sinis-
tra tua quid faciat dextera
tua. Pietas 1 Thy 4º Exer-
citatio ad modicum valet pie-
tas autem ad omnia valet. Ca-
ritas 1 Cor. 13 Si distri-
buero in cibos pauperum omnes
facultates meas caritatem autem
non habeam nichil michi prodest.
Ordo dandi Eccli 30 Miserere
anime tue placens deo. II Reg. ar. 4. 8º
Vide de Octavo ar. scilicet de
utilitate elemosine magis consistat
Et circa hoc queruntur plura. scilicet
Utrum omnis virtus elemosine
magis consistat in dato exteriori
quam in affectu interiori. Unde
Elemosina habet efficaciam et ex
ipso faciente in quantum est bona
opus meritorium et ex ipso acci-
piente in quantum obligatur ad
orandum pro illo qui eciam
dedit. Si ergo consideretur ele-
mosine efficacia in maiori
dato consistit in quantum plus per
hoc et magis debitores effi-
ciuntur. Si autem ex parte dantis
sit respectu premii essencialis
efficacia elemosine magis pensatur
ex affectu quam ex dato. Sed re-
spectu premii accidentalis in re-
missione pene vel alicuius
huiusmodi magis pensatur effica-
cia elemosine ex magnitudine
dati nisi ex parte altera intencio
voluntatis magnitudini
exterioris dati correspondeat. Potest enim
esse tam intensa voluntas
quod etiam omnem penam absorbet
et reatum. Sic de contricione dicitur